

**05**

**A**

**1986**









23  
DE MODO

EXERCITATIO PHILOSOPHICA,

*In qua precipua ejus significationes  
explicantur.*

D. O. M. A.

IN ILLUSTRISSIMA AC CELEBERRIMA

WITTEBERGA

PRESIDE

M. ANDREA KESLERO,

Coburgo-Franco, Facultatis Philosoph.

Adjuncto,

RESPONDENTE

LAURENTIO GUALTHERO GERLINO,

ULMA-SHEVO.

*Publico examini subjecta*

In Auditorio Philosophico,

*Ad diem 18. Octobr.*

*horis antemeridianis.*



WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica CHRISTIANI THAM,

Academ. Typogr.

---

ANNO M DC XXIII.



MEMORANDUM

MEMORANDUM FOR THE RECORD  
DATE: 1986  
TO: [illegible]  
FROM: [illegible]

MEMORANDUM FOR THE RECORD  
DATE: 1986  
TO: [illegible]  
FROM: [illegible]



05 A 1986

MEMORANDUM FOR THE RECORD  
DATE: 1986  
TO: [illegible]  
FROM: [illegible]







D. O. M. A.



*I quis est terminus generalis Philosophicus, qui crebro inter disputandum, ac docendum occurrit usu, inter omnes eminere videtur*  
**MODUS.** *Quotusquisq; enim tam est in arenâ literariâ hospes, qui non subinde fando acceperit, distinguendum esse inter rem & modum rei, qui non de distinctione modali plurimum dissertantes audiverit, qui non perceperit, dari propositiones modales in Logicis, dari naturas & essentias modificatas in Metaphysicis, qui non informatus sit de diversis subsistendi modis, & in materiis innumeris aliis usum termini hujus decantatum expertus fuerit. Hoc si ita est, uti est, quid prohibeat, quin diligentius paulum in varias modi significationes inquiramus? Imò verò inquiramus, & eò quidem libentius, quò amplior nobis ex hoc labore messis est expectanda. Inquiramus enim ita, ne sistamus in nudo vocabulo, sed potius, ut, ubi se commoda commorandi, & utilibus quasiunculis animum recreandi occasio obtulerit, liberali exercitio materiam suppeditemus. Jehova adsit labori, eiq; ex alto benedicat.*

I.

*Modi vox adhibetur ad sermonem.*

Generaliter hîc modus considerari nequit commodè, quandoquidem ubi mera & pura est æquivocatio, impossibile est, ut communis conceptus locum habeat, quoniam ubi æquivocatio, ibi plura significata. E. non unus conceptus. Ordine ergo videamus significationes, inter quas primò se offert illa, quâ adhibetur ad significandam certam aliquam locutionem seu loquendi formulam.

A 2

lam



lam terminus *modi*. Nihil namq; usitatus est, quàm ut distingua-  
mus inter rem & modum loquendi. Fit enim sæpè, ut res ipsa ve-  
ra sit, modus autem loquendi hoc est enunciationem exprimens  
durior sit, quàm, ut usurpari eam conveniat. Ita v. g. opera bona  
ad salutem esse necessaria, si rem intelligas & attendas, concedi po-  
test, explicatione sanâ datâ, nihilominus modus loquendi, est pe-  
riculosus tum ob infirmos, tum ob adversarios.. Hic ergo distin-  
guitur inter rem & modum loquendi. Ad hanc significationem,  
duas notamus præceptiunculas sapientum: 1. *Ubi de re consensus est,  
de modo loquendi non ita debemus esse solliciti, inq; eo nimium esse rigorosi,  
nisi certa rigoris adsint cause*, inter quas præcipua est scandalum,  
quod infirmis datur, & calumnia adversariorum. Aliàs in vocabu-  
lorum usu faciles esse jubemur. 2. *A consueto loquendi modo, licet sit a-  
liquo modo durus, non facile est recedendum, si de re sufficienter constat.*  
Ulus hujus moniti esse potest in Theologiâ de exorcismo. Hujus ver-  
ba dura esse facilè concesserimus, sed quoniam sufficienter sensus  
& res ipsa subinde & quotidie inculcatur, explicatur, urgetur, quid  
est, quod Calviniani tantopere repugnent, nisi in re & doctrinâ dif-  
sentiant? Sed hæc ad Theologiam. Quin addamus 3. *Qui novos lo-  
quendi modos introducere cupit, graves instituti addat rationes.* Aliàs n. il-  
lud audiet: *Qui fingit nova verba, simul nova dogmata fingit.* Hæc obiter.

## II.

*Modus significat quamlibet specialem rei vel actio-  
nis rationem,*

Est & hæc significatio generalis, & locum suum habet in di-  
stinctione usitatissimâ, inter rem & rei modum. Illustrabimus rem  
exemplo. Regula est Theologia: *Præsentiam credimus, modum igno-  
ramus*, quæ loquitur de præsentia sacramentali corporis Christi in  
sacrâ Cœnâ. Vi verborum institutionis Christi verè adesse corpus  
ejus fatemur. Quomodo adsit, ignoramus. Hic ergo distinguitur  
inter rem & rei modum. Offeramus & hic observatiunculam: *Sæ-  
pè de re constat, ut de rei modo nihil affirmetur.* Animam rationalem,  
non dubitamus asserere per generationem naturalem in hominibus  
propagari, ita ut totus homo animâ & corpore constans ex essen-  
tiâ parentum producat (alioquin vix generatio univoca defendi  
pote-



poterit, ) licet modum propagationis non ita præcisè ac determinatè ostendere possimus, propagationis inquam naturalis. Aliàs ipsa hæc naturalis propagatio modus est productionis. Ergo, ut incidenter hoc addatur, non absurdum est, ut id, quod ratione superioris sit modus, ratione inferioris, rei nomen ac rationem subeat. Ita productio res est, propagatio naturalis modus. Datur enim tali propagatione talis productio, quemadmodum per creationem & infusionem alia aliqua. Propagatio naturalis, quomodo fiat, quæritur. Hinc propagationi *rei* terminus accommodandus est, de cuius *modo* controvertitur. Unde & hoc patet, voce *rei* hîc non substantiam aut subjectum intelligi, sed generatim id, quod speciali aliqua ratione quasi limitatur ac restringitur, sive sit actio, sive passio, sive aliud quid. Referri huc potest illud, quod interdum distingui solet inter causam & modum procedendi, ut & inter rem & modum tam proferendi ac tractandi. Illustris itidem est distinctio, quâ distinguitur inter *rem* sive materiam tractatam, & inter rem tractandi ac considerandi *modum*. Hinc regula. *Subiectum materiale multæ disciplinæ potest esse commune, formale autem seu modus considerandi, cuiq; disciplinæ manet proprius, ut homo est subjectum Physicæ, Ethicæ, Medicinæ, Theologiæ, sed, Physicæ, ut est corpus naturale, Ethicæ, ut salvandus, Medicinæ, ut sanandus, Theologiæ deniq; ut salvandus. Eodem modo prædicamenta & Logices sunt & Metaphysicæ, verum sub alio atq; alio considerandi modo. Unde regula: *Salvâ manente re substrata modi manent distincti.* Habet etiam, & imprimis, hæc significatio usum apud Theologos in loco de persona CHRISTI, quando de communicatione idiomatum quæritur.*

### III.

*Modus significat habitudinem, rationem, & statum certum subjecti.*

Est hæc vicina præcedenti significatio, & sat accommodata ad rerum cognitionem distinctam acquirendam. V. G. Forma hominis est anima rationalis, eadem est in homine causa variarum operationum visionis, intellectiois &c. Hinc duo enunciata: *Anima constituit hominem per modum formæ, efficit operationes per modum efficiens.*



*ficientis.* Quanquam, nisi fallit sententia, in his, ubi propriè ac univocè aliquid alicui convenit, potius termino *rationis* utimur, quam *modi*, dicentes: *Anima, ut hominem constituit, habet rationem formæ, ut operatur, rationem efficientis.* Modi autem vox magis respicere videtur ea, in quibus est analogia, ut cum dicimus animam se habere in corde ex sententia Aristotelis per modum regis in arce media diffundentis virtutem ac dirigentis totum regni, ubi similitudo solum est, non univocatio. Sic in Theologicis Scriptura judicare dicitur per modum normæ, ad quam normata examinantur. Sacramentum justificare dicitur per modum instrumenti, &c. In Ethicis prudentia invenitur in omnibus virtutibus moralibus per modum vel sub ratione dirigentis, & sic in aliis, ubi, quid usus largiatur, videndum.

#### IV.

*Modus in enunciationibus significat determinationem prædicati in respectu ad subjectum.*

Occurrunt in disciplinis organicis significationes diversæ *modi*, ut in Grammaticis modus indicativus, in Logicis modi trium figurarum, qui nihil aliud sunt, quàm certæ habitudines enunciationum syllogisticarum secundum qualitatem & quantitatem, verum, quoniam in istis significationibus minus momenti situm est, eas dimittimus. Plus ponderis illa habet, secundum quam enuntiatio modalis dicitur, de quâ pauca subjungemus. Modi ergo, qui constituunt enunciationes modales, 1. non intelliguntur illi, qui partes alicujus enunciati describunt, & limitant, ut: *qui benè distinguit, bene docet.* 2. nec illi, qui sine certa cohærentiæ ratione dispositionem terminorum respiciunt, ut: *Deum timere justum est.* Hic *justum* quasi modus quidam dispositionem quidem duorum terminorum, Dei, & timoris, respicit, sed non exprimit cohærentiæ rationem. 3. nec illi, qui quidem rationem cohærentiæ exprimunt, sed in respectu ad intellectum nostrum, ut: *Deum esse intelligibile est, verum est, &c.* Nam intelligibilitas & veritas ad intellectum pertinent: Sed illi, qui determinant totam compositionem & dispositionem terminorum, in quantum est dispositio, adeoq; specialem habitudinem eorum ad invicem exprimunt. Horum modorum 4. sunt *impossibile, possibile, necessarium, contingens.* Unde jam propositiones modales oriuntur, & quidem sensu duplici 1. *diviso*, ut subjectum & prædicatum divi-



dividantur modo interjectio, ut: *Hominem necesse est esse animal, vel homo necessario est animal.* Nam sive adverbium sive nomen adhibeatur, periude est, tamen convenientius usurpatur. 2. *Compositio*, ut dictum (ita vocatur propositio absoluta) sit subjectum, modus vero prædicatum. Modales compositæ duplicem admittunt sensum, ut: *Quoddam animal esse hominem est necessarium*, explicari potest, vel ita: *Quoddam, quod est animal, est necessarium*, quod verum vel ita: *Esse aliquod animal, quod sit homo, est necessarium*, quod falsum. Illud enim loquitur de quodam animali, jam Petrus est animal, & idem necessario homo; hoc loquitur de existentia, quæ non est necessaria. Siquidem ante Adamum non fuit animal, quod esset homo. Videri potest hac de re apud *Nibus. in tractat de modal. & Scheibl. in doctrin. modal.* Cum autem doctrina modalium multum negotii facerit Logicis, uti videre est ex *Fonseca & aliorum Peripateticorum* libris, nos salvis aliorum judiciis cum *Nibus.* & compositas & divisas ad absolutas revocamus, ita quidem, ut illas singularium ordini accenseamus, cum dictum singularis ingenium habeat: In his vero modum ad prædicatum referamus tanquam ejus partem, & proinde ad modum eum examinemus, quo absolutas alias. V. g. *hominem esse justum* est contingens, est enunciatio singularis. Idem in est, ut si dicatur: *Hoc, hominem esse justum est contingens. Homo contingenter est justus*, est indefinita, ejusq; prædicatum est, *esse contingenter justum.* Videantur autores allegati. Omnino persuasum habemus, omnem limitationem ac determinationem, quæ ad copulam fertur, adeoq; dispositionem terminorum concernit, ad prædicatum referendam esse. Unde jam eo modo, quo aliæ limitativæ enunciationes vel convertuntur, vel opponuntur, etiam modales divisæ convertentur & opponuntur, ut: *Omnis homo contingenter est justus*, convertitur: *Quoddam, quod contingenter est justum, est homo &c.* Quo observato multis obscuritatibus non necessariis via præcluditur. Perplexitatis causa in collatione 4. modorum secundum æquipollentiam & oppositionem non levis est ambiguitas in voce *contingens.* Eadem etiam collati in vero quoq; & falso institui potest, ut: *Omnem hominem esse animal verum est. Quendam hominem non esse animal, verum est*, sunt contradictoriæ. *Omnem hominem esse animal verum est. Quendam hominem non esse animal, falsum est*, sunt æquipollentes. Sed hæc ad Logicam plenius discutienda remittimus.

V. Me-



*Modus significat determinationem unicuique rei præfixam secundum mensuram eius.*

Provehimur paulatim ad significationes modi Metaphysices, in quibus excutiendis præeuntes nobis & facem præferentes habemus *Suarezium* imprimis, & *Scheiblerum*, atque alios nonnullos, quorum vestigia legemus. Igitur primò ex *Augustino* affertur significatio generalis, quâ notatur limitatio cuiusque rei finitæ secundum eius mensuram, seu congruentia, quam res sibi secundum suam naturam exposcit. Ita ex eodem 3. requirunt ad creaturæ bonitatem, ordinem, speciem, & modum, qui nihil sit aliud, quam debita commensuratio ad sua principia explicante. *Thoma p. 1. q. 5. art. 5. & 1. secunde q. 85. artic. 4.* Rem finitam seu creatam dicimus. Nam in hoc distat infinite Deus à Creaturis, quod ille careat mensurâ sui, unde nequit in eo determinatio aliqua poni, utpote ente à nullo limitato, nequeunt certi essentiæ termini præscribi, utpote enti infinito, nequit statui commensuratio, utpote enti immenso. Abest ergo à Deo modus in hac significatione. Resultat hinc quæstio gravissima, quomodo Dei essentia sit infinita, ac terminis careat, cum Deus sua sibi, ut ita loquamur, sit essentia, ut omnes aliarum rerum essentia ab illâ sint distincta, & ab his illa. Unde certè videtur finitudo insequi & aliqua mensura ac modus quidam. Resp. 1. A Dei essentiâ omnia alia entia sunt distincta essentiæ suæ terminis, Deus ab omnium rerum essentiis est dictus, sed non suæ essentiæ finibus ac terminis, quas nullas habet, sed per ipsam essentiæ suæ infinitatem, quæ in se omnium entium Creatorum perfectiones eminenter continet. Sed quid est eminenter Deum omnium rerum perfectiones in se continere? Nempe est hoc, quod omnium rerum perfectiones aut sunt modo nobiliori, & sine omni imperfectionis labe in Deo, aut ad minimum suat à Deo, in quo virtus est easdem producendi. 2. Si infinitum opponatur enti tanquam entis negatio, Deum finitum esse Metaphysicus in generali parte, ubi de naturâ entis in genere agit, facile concedet. Sed tum, quoniam finitum nihil aliud est, quam id, cuius essentia ab aliorum entium essentia est distincta & una, per infinitatem illam non importabitur modus atque mensura, stabitque;



stabitq; nihilominus divisio, quâ ens aliud dicitur esse infinitum, ut Deus, aliud finitum. Verum hoc altioris est indaginis.

## V I.

### *Modus sumitur pro qualitate in genere.*

*Armandus de bello Visu tract. 2. c. 66.* explicaturus nomen qualitat-  
is hæc habet verba: *Qualitas est quidam modus essendi substantia. Mo-  
dus autem secundum Augustin. super Genes. ad litteram est, quam mensura  
presigit: & ideo qualitas quandam determinationem & quendam modum  
substantia dicit, secundum aliquam mensuram. Sicut autem illud, quo de-  
terminatur potentia materiae, secundum esse substantiale, dicitur qualitas  
substantialis, & hæc est differentia substantialis & substantia: ita illud, se-  
cundum quod determinatur potentia subjecti, secundum esse accidentale, di-  
citur qualitas accidentalis, quæ est quedam differentia accidentalis, ut dici-  
tur 5. Metaph. Ex quo patet, quid importatur nomine qualitatis, quia illud,  
quod modificat subjectum & potentiam subjecti ac determinat secundum esse  
accidentale, dicitur qualitas subjecti. Hactenus Bellovisi verba, ex qui-  
bus constat, cur vox modi tribuatur qualitati in genere, ut sub se 4.  
species comprehendit, nempe quia modificat omnis qualitas sub-  
jectum & potentiam subjecti (quod tamen sano sensu intelligen-  
dum, cum potentia subjecti prædicamentalis sit species qualitatis,  
& sic nequeat modificare potentiam subjecti. Secus processus fie-  
ret in infinitum,) & quidem accidentaliter, sicut modus essentialis  
subjectum modificat essentialiter. Invenitur hæc significatio apud  
*Thom. 1. secunda q. 49. artic. 2.* Quæri potest de modo ita accepto, *an  
à re modificatâ realiter semper differat, an quandoq; solâ ratione?* Catego-  
ricè responderi nequit, nisi prius decidatur quæstio inter *Thomistas  
& Scotistas* agitata de potentiis animæ, *num ab ejus essentiâ realiter dif-  
ferant nec ne*, quorum illud illi, hoc hi affirmant. Secundum illos  
igitur omnis modus realiter differet à re modificatâ, secundum hos  
solâ quandoq; ratione. Quam quidem hac vice non ventilandam  
suscepimus quæstionem, nihilominus tamen, si placuerit eandem  
excutere, distinctione rem totam expedire conabimur.*

## V II.

### *Modus significat id, quod contrahit ac determinat aliud.*

B

Datur



Datur enim in rebus tum natura communis, tum aliquid modificans, limitans, contrahens ac determinans naturam communem ad rationem specialiolem, & hoc modus vocari solet. Est porro modus huiusmodi vel *prædicamentalis*, vel *transcendentalis* & extra prædicamentalis. *Illum* vocamus, qui in linea prædicamentali & in vel sub ordine rerum in prædicamentis contentarum naturam communem modificat & essentiam reddit contractiorem. Hunc sistimus duplicem, differentiam nimirum specificam, & individualem. *Specificam* differentia dicitur modus essentialis, qui genericæ naturæ superadditur, eamq; reddit talem, adeoq; limitat ac modificat, eoq; ipso cum genere speciem constituit. Habet enim, ut altius rem reperamus, differentia specifica duos respectus, quorum prior refertur ad *genus*, posterior ad *speciem*. Secundum illum est quasi accidens (nempe prædicabile) generis: secundum hunc est qualitas essentialis & pars Metaphysica, essentiam speciei cum genere constituens. Probatur prius, quoniam contingit generi per hanc vel illam differentiam limitari ac contrahi essentialiter. V. G. *animali* contingit & accidit esse rationale, nam non ei repugnat esse irrationale, quia non omne animal homo est, sed quoddam bestia. Unde oritur quoq; enunciatio seu prædicatio accidentalis, *animal est homo*. Nimirum, quia genus sese indifferenter habet ad plures differentias oppositas. Probatur *posterius*. Duplices sunt partes essentielles, Physicæ & Metaphysicæ, *illæ* sunt materia & forma: *hæ* genus & differentia. In *illis* est compositio realis, in *his* compositio rationis per conceptus inadæquatos. Nam & genus dicit id, quod est species & differentia, adeoq; utraq; pars est realiter idem cum toto, specie nempe; differunt autem, quod species dicit totam essentiam rei, sed adæquatè ac totaliter genus eandem dicit essentiam, sed confusè & inadæquatè, differentia eandem sed contractius & inadæquatè. Quid enim in re aliud est animal in homine, quàm ipse homo? Quid rationale in re, nisi idem homo? Unde homo nihil aliud est, quàm animal rationale. Atq; ex hoc fundamento unius rei duplex dari potest essentialis definitio, *una* per partes essentielles Physicas, naturam & formam, *altera* per Metaphysicas, genus & differentiam, quæ magis usitata. Sed tamen nec illa tontemnenda. V. g. *homo est substantia constans animâ rationali & corpore organico; homo est animal rationale.* Hinc jam patet, cum definitio es-

sencia-



sentialis nihil sit aliud, quàm essentialis per partes suas evolutio, & ve-  
 rò differentia specifica præcipuum locum in definitione essentiali  
 sibi vindicet, hinc inquam patet, differentiam respectu speciei esse  
 partem essentialem, non obstante, quod respectu generis est acci-  
 dens. Unde etiam illius ratione eadem differentia dicitur constitu-  
 ens, & hujus ratione dividens. Ex quo, ut obiter attingamus, ju-  
 dicari potest, quid respondendum sit ad quæstionem, quâ quæri-  
 tur, *an divisio differentia in constitutivam & divisivam sit distinctarum dif-*  
*ferentiarum, an unus secundum diversa officia considerata?* Nimirum u-  
 trumq; verum est, quod ita intelligendum. Divisio illa aut attendi-  
 tur in respectu ad unum subjectum nempe speciem, aut in respectu  
 ad unum modum diversorum subjectorum. Si prius, tum divisio  
 illa est in distinctas differentias hoc modo: Speciei differentia alia  
 est *constitutiva*, quæ cum genere eandem constituit, alia est *divisiva*,  
 quæ eandem, sub alteram potissimum, in inferiora dividit. V. G.  
*animalis* differentia constitutiva est sensitivum, divisiva rationale  
 & irrationale. Unde consequenter discrimen differentiarum ha-  
 rum hoc est, quod illa sit una, hæc multiplex, siquidem omne ge-  
 nus plures differentias respicit, per quas dividitur. Si *posterius*, tum  
 divisio illa est unius differentia secundum distincta subjecta distin-  
 ctio. Idem enim, quod est differentia dividens genus ac contra-  
 hens speciem cum genere & sub genere constituit, v. g. rationale  
 dividit animal, & hominem cum animali constituit. Sive autem  
 differentiam specificam ad genus referamus, sive ad speciem, rectè  
 dicimus eam esse *modum*, illo quidem respectu, quia genus seu natu-  
 ram limitando ac contrahendo modificat: hoc, quia est qualitas  
 speciei essentialis, per quam intrinsecè ab aliis distinguitur.

Quæritur hîc, *qualis sit predicatio differentia de specie, an de eo*  
*predicetur, in quid, an in quale.* Prius videtur asserendum, quia diffe-  
 rentia est de essentia speciei. E. essentialiter prædicatur. E. in quid.  
 Posterius contra statuendum videtur, quia ad quæstionem de quid  
 factam non respondetur rectè per differentiam, sed per genus vel  
 speciem, vel definitionem. Ad hoc dubium tollendum distin-  
 guunt inter quale accidentale & quale essentialis, dicuntq; in quid  
 prædicari id, per quod rectè respondetur ad quæstionem, *Quid est,*  
 in quali id, per quod ad Quæstionem, *Quale est!* commodè respon-  
 detur, & hunc prædicandi modum faciunt duplicem: unum essen-



*rialem*, nempe differentia, alterum *accidentalem*, nempe proprii & accidentis, ut ita differentia praedicetur in quali essentialiter. Alii inter praedicari mediate & immediate distinguunt, eò, quod differentia, licet non immediate respondeat quaestioni Quid est, tamen mediate, adjuncta nimirum generi. V. G. Si quaeram, *quid est homo?* Non quidam respondetur aptè, *est rationale*, aptissime tamen, *est animal rationale*.

Nobis non displicet illa distinctio, qua aliquid dicitur praedicari in quid simpliciter, aliud in quali simpliciter, aliud denique in quali quid. Ut aliquid praedicetur *simpliciter in quid*, requiritur 1. ut sit de subjecti essentia, 2. ut praedicetur per modum per se stantis. Ita genus de specie praedicatur, ut *animal* quoad rem est homini essentiali, imò ipsius essentia sed confuse, quoad modum enunciandi significat aliquid per se stans, alteri quò non inhaerens. Ut aliquid praedicatur *in quali simpliciter*, requiritur 1. ut illud non sit de essentia subjecti, sed extra eam. 2. ut praedicetur per modum inhaerentis in alio, non autem per modum per se stantis. Hoc modo proprium & accidens praedicatur, ut *risibile* praedicatur de homine, ita ut quoad rem sit extra ejus essentiam, & quoad modum enunciandi significet aliquid homini inhaerens. Ut aliquid praedicetur *in quali quid*, requiritur, ut de utroque illo aliquid participet, adeoque, ut 1. sit quidem de essentia subjecti, 2. nihilominus tamen praedicetur per modum formae inhaerentis. Atque hac distinctio in praedicatorum, quibus praedicabilia, inserviunt, cancellis observata, sponte sequitur, differentiam specificam nec simpliciter in quid, nec simpliciter in quali praedicari de specie, sed in quali quid, quia, cum sit de ejus essentia, enunciatur tamen, quasi aliquid ipsi inhaerens, ut: homo est rationalis.

Rejicimus hoc in loco illam sententiam, qua statuitur differentiam specificam esse ipsam *formam*. Convenientiam quidem concedimus horum terminorum, identitatem tamen negamus, cum differentia sit quidam modus determinans naturam genericam, forma vero sit actus informans materiam. Neque quisquam doctorum animam rationalem modum in homine esse dicet. Et ratio est in promptu alia quoque, quoniam differentia est ipsa species, forma a composito realiter differt. Unde illa de specie praedicatur directe, haec de composito non item. Illa est ita pars, ut simul sit  
ipsum



ipsum totum, hæc est ita pars, ut solum fit aliquid totius, non simul ipsum totum.

Rejicimus etiam illorum sententiam, qui ad *proprium* differentiam referunt. Est quidem & proprietas modus, in quantum est subjecti qualitas, sed non est modus eâ, quâ differentia, modi-significatione. Neq; enim essentialiter determinat ac modificat, ut differentia. Unde vel realiter distinguitur à subjecto, in rigore loquendo, vel si non realiter, sed solum ratione ab eo differt, saltem, ut aliquid essentiæ superadditum distinctioris cognitionis causa ab intellectu concipitur. At differentia secundum rem est ipsa essentia speciei. Neq; quisquam hanc enunciationem: *rationale est risibile*, dicet esse proprietatis de proprietate, ut hæc est: *disciplina capax est risibile*, sed causati de causa solum, licet aliàs non negemus, etiam duas proprietates ita se ad invicem habere posse, ut una sit causa, altera effectum.

Porrò removemus etiam ab hac modi acceptione personarum in sacrosancta Trinitate exemplum mysticum. Sanè si, quod *Piscator* volebat, Deus esset genus ratione personarum tanquam specierum, oporteret, ut divinitas per differentiam specificam limitetur ad Patrem vel filium. Verum crassanimis est illa philosophandi ratio, quâ positâ ac concessâ impossibile est, ut *Photinianorum* incurribus resisti queat. Argumentabuntur enim. 1. *Omne genus est universale.* 2. *consequenter actu completo est opus intellectus per abstractionem.* 3. *respicit suâ species, ut essentialiter inferiora.* 4. *multiplicatur per illa & in eis secundum rationem & nomen* 5. *habetq; rationem partis Metaphysicæ.* Hæc de genere ullo negare velle, est generis naturam destruere. Ita *animal* est terminus universalis, & secundum completum actum fit per abstractionem à speciebus & individuis, hoc & illo animali, beneficio intellectus operantis circa singularia, hinc non animal est in rerum naturâ, sed hoc & illud animal: respicit etiam hominem & bestiam ut essentialiter inferiora, sive ut essentias contractas sub eo ut essentiâ confusiori multiplicatur insuper secundum rationem seu conceptum & nomen, ut homo sit aliud animal, & bestia aliud, & homo ac bestia plura sint animalia, est deniq; animal pars essentialis Metaphysicæ. Hæc autem de Deo cogitare, profanum est, de eo dicere *αφιλόσοφον* simul & *αθεόλογον*. Si enim Deus est universale quid, non erit unus numero, cum omne numero



unum sit singulare. Singulare autem esse & universale contradictionem involvunt. Si Deus est ens per mentis nostræ operationem; Deus completè non erit in rerum naturâ, sed per intellectum nostrum & in ipso. Atqui Deus ab omni æternitate perfectissimè existit, neq; ad actum suum unquam intellectus ope indiguit. Si Deus respicit personas, ut essentialiter inferiora, personæ erunt essentiis suis distincta, qua ratione, quomodo simplicitas Dei constabit? quomodo unius essentiæ tres dicentur esse personæ, & quidem essentiæ individua? Si Deus multiplicatur in personis secundum nomen & rationem, verum non erit, quod in scripturâ asseritur, unum esse Deum, Patrem Domini nostri Jesu Christi, & præter eum non esse alium, Tres Dii erunt statuendi, & tres divina essentiæ. Si Deus est pars Metaphysica personæ, tum præter divinam essentiam in personâ erit alia essentia (nempe Metaphysicè secundum conceptum, alia igitur non re sed ratione) divinitati superaddita. Atqui hæc omnia & Theologiâ & rectâ ratione dicere prohibemur. Argumentabuntur Photiniani. 2. *Omne genus ratione speciei est quid imperfectum, confusum, indeterminatum, Deus ratione personarum est genus. E. Deus est aliquid imperfectum ratione personarum, confusum, ac indeterminatum.* Atqui impium hoc est, de ente perfectissimo imperfectio- nis labem statuere. Non jam dicam omnem speciem esse universale accuratè loquendo, ut constet, Rameos specierum infimarum nomine ipsa individua indigitare, sed hoc omninò urgendum est, si personæ ut species sunt sub Deo ut genere, Deum absolutè consideratum non esse individuum, sed divisibilem ulterius, cum omne genus per differentias in species dividatur. Quod sanè manifestæ est absurditatis.

Neq; est, ut dicatur solum analogicum, vel analogicè loquendo, Deum esse genus personarum, ut ita imperfectiones, quæ in genere aliàs occurrunt, removeri debeant. Nam tale analogicum genus, quale Deus dicendus foret, planè nullum est genus, cum ei non competant, quæ ad rationem formalem generis necessario requiruntur. Verum quidem est, quod termini Philosophici purgari queant ab imperfectione, quam in rebus creatis involvunt, purificati deinde applicari rebus divinis analogicè: Sed videndum ne dum analogia instituitur, heterogenia fiat, & ne dum terminus ab imperfectione debet liberari, naturam suam totam exuat. Concedimus



dimus aliquid in Deo & personam reperiri, cujus simile reperitur in genere ac specie, nempe, quod, quemadmodum genus communicatur pluribus speciebus, ita essentia divina pluribus personis, quemadmodum à genere ad speciem non valet consequentia, sed contra à specie ad genus, ut *est homo. E. est animal*, non autem: *Est animal. E. est homo*: ita à personam ad essentiam divinam valet, non contra, ut: *Est pater. E. est Deus*, non: *Est Deus. E. est pater*, sed propterea dicere velle, Deum esse genus personarum, hoc nimiam est temeritatis, cum essentialia generis, ut vidimus, deficient.

Neque ullius ponderis est objectio: *Quicquid predicatur de pluribus in quid tanquam commune, illud est genus. Deus predicatur de pluribus in quid ut commune. E.* Nam 1. Major particularis est. Nam requiritur præter communitatem etiam universalitas, ita quidem, ut sub illa species crescant, ac multiplicent naturam genericam seu communem sub eodem nomine & conceptu. Deinde intelligitur communitas ratione plurium essentialiter inferiorum. Jam & pater & filius est Deus, sed hi sunt unus & idem Deus. 2. Minorem quod attinet, negatur Deum commune quid esse personis, ut essentialiter inferioribus, Neque enim ut rectè dicis: *homo & bestia sunt essentia inferiores sub essentia animalis tanquam superiori*, ita idem de personis Trinitatis affirmaris. Deinde in quid prædicari, ut sumitur in prædicabilibus, & in generis definitione, significat collationem conceptus essentialis superioris cum inferiore, quæ in essentiam divinam & personis non invenitur. Interim tamen non negamus sano sensu dici posse, Deum in quid de personis prædicari. Brevissimè respondetur, majorem deficere propter omissum genus in definitione generis, quod est universale. Hoc si additum fuerit, minor erit falsa, cum ut superius probavimus, Deus in censum universalium venire non possit. Omne nempe universale aut actu est plura, aut potest esse actu plura. V. G. *Animal* aut plura est, nempe homo & bestia, aut licet homo non sit, sed solum bestia in rerum naturam, quemadmodum contigit initio mundi conditi nondum creato homine, nihilominus esse posset. Jam ita Deus unus est, ut non possint esse plures. Datis namque pluribus Diis dabuntur plura infinita & immensa, quod simpliciter est absurdum. Atque hætenus de modo determinante naturam genericam, qui est differentia specifica. Datur autem ulterius differentia individualis, quæ facit, ut Petrus alia sit essentia  
nume.



numero ab essentia Pauli, licet una utriusq; sit essentia specifica.  
De eâ latè Metaphysici, cum de principio individuationis agunt.

Porro specialius modus determinans dicitur id quod determinat entitatem ad summa genera. Estq; hic modus transcendentalis, quia transcendit prædicamenta. Est autem duplex: Nam vel determinat ens ad substantiam & accidens, ut *τὸ* per se subsistere, & esse per aliud, quorum modorum ille determinat ens ad substantiam, hic ad accidens: vel limitat naturam accidentis ad genera accidentalissima, ut modus per quem quantitas constituitur &c. Hi modi habent se ad instar differentiarû, sed non sunt differentia. Nam omnis differentia debet esse aliquid præter & supra genus superveniens, ut rationale est aliquid ultra naturam animalis in homine. Jam autem per se subsistere, v.g. non est aliquid ultra ens. Esset enim non ens. Atqui non ens non potest esse differentia entis, esset enim ejus constituens. Non ens autem ens constituere nequit. Nempe ultra naturam non entis, quæ nulla est, esset hæc natura. Quid E. est modus ille, per se subsistere? Vix aliter respondere possumus, quàm quod sit expressior essendi ratio, determinans ens ad entitatem talem.

## TIX.

### *Modus etiam usurpatur de affectionibus entis.*

Hac significatione modi dicuntur affectiones, quæ non sunt peculiaris entia, sed tamen afficiant ens, & entitatem intimè includunt. Hujusmodi affectiones sunt vel unitæ ac simplices, quæ cum ente reciprocantur, ut *unum, verum, bonum*: vel conjunctæ & bimembres, quæ sub disjunctione cum ente dicuntur converti, ut *causa & causatum, dependens & independens, necessarium & contingens*, &c. Sunt enim hæc entia, sed non peculiaris, sunt imò potius quidentis, quàm entia. Quæ causa est, quod modi entis dicuntur. Deniq; modus speciatim accipitur, de iis, quæ non sunt peculiaris entia, nec tamen propriè ejus affectiones, de quibus modis disputatione peculiaris

*non seorsum agetur.*

F I N I S.



05 A 1986


**ULB Halle** 3  
003 786 897











# DE MODO

EXERCITATIO PHILOSOPHICA,  
*In qua precipua ejus significationes  
explicantur.*

D. O. M. A.

IN ILLUSTRISSIMA AC CELEBERRIMA  
WITTEBERGA

PRÆSIDE

M. ANDREA KESLERO,  
Coburgo-Franco, Facultatis Philosoph.  
Adjuncto,

RESPONDENTE

LAURENTIO GUALTHERO GERLINO,  
ULMA-SUEVO.

*Publico examini subjecta.*

In Auditorio Philosophico,

*Ad diem 18. Octobr.*

*horis antemeridianis.*



WITTEBERGÆ,

Ex officina typographica CHRISTIANI THAM,  
Academ. Typogr.

ANNO M DC XXIII.